



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Die 2. Visitatio B. V. Mariæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

396 II. Julii. Visitationis B. V. Mariæ.

Apostolos? Quando inter Jesu Christi  
Confessores? Si voluntati nostræ per-  
versæ renunciaverimus cum S. Paulo  
clamantes: Domine! quid me vis fa-  
cere?

*Instructio meritoria.*

Abnegatio sui ò quam necessaria virtus!  
quam utilis! proficia! quam ui-  
acquiramus, duodecim actus statuamus  
voluntati, vel judicio proprio direc-  
oppositos, quos & Patri spirituali exhi-  
beamus pro sancta benedictione. Si  
Patre errat filius.

J U L I U S.

Festum Amicissimæ Visitationis  
Beatissimæ Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

**E**xurgens Maria abiit in montana.  
Non curat ardua montium itinerem.  
Amor dulcoravit omnia. Quò pergi-  
mus? Fili! nunquid ad montem sancti-  
tatis, & Christianæ perfectionis? Qui  
èò pertinet? Qui pigritiam odi, &  
aversatur cum otio, & labores æstimat.

Im-



*Instructio meritoria.*

Fugiamus desidiam, amemus labores! Hi sancti sunt. Probemus hunc amorem frequenti Ecclesiæ visitatione. Qui templa amat, scit, ubi virtutis & Divinæ gratiæ assyla. Novies *Magnificat* recitemus. Quid dulcius? Quid jucundius? Quid acceptius Jesu & Mariæ hoc Canticō?

II.

**V**isitat Maria Elisabetham, & exultavit parvulus in utero matri. O si Jesus! O si Maria & S. Josephus nos inviserent pugnantes, & agonizantes pro æternitate! O si suâ consolarentur præsentia! Quàm beata! quàm hilariis tunc nostra foret anima! Et quid impedit, ut non veniant? Sola harum Sanctorum personarum turpis oblivio.

*Instructio meritoria.*

Si hæc in nobis, reparare licet. Statuamus, in singulas septimanas vel semel v. g. die Martis *Litanias de potenti Consanguinitate Jesu, Mariæ, & Josephi* persolvere, vel *novem Pater, & Ave* in honorem *novem Mensium*, quibus

R 7

Maria

398 II. Julii. Visitationis B. V. Mariae.

Maria sub Virgineo portavit utero Verbum incarnatum. O Maria! sic est:  
Quomodo te colimus, sic nos tu visitas.

III.

**U**bi Maria, ibi gratia, Benedictio, & sancta lætitia. Testor S. Joannem Baptistam, qui exultavit in utero ad adventum Immaculatæ Virginis. Sic innocentia, sic puritas à Deo honoratur. Volumus & nos quotidie exultare in Deo: salutari nostro? Volumus & in tempore justificari & sanctificari? Munditiam cordis aestimemus, & aestimando cautè custodiamus.

*Instructio meritoria.*

Matrem Immaculatam filius decet immaculatus. Pia colloquia misceamus hodie. Dolentes, & afflitos consolemur. *Officio minori* de Immaculata Conceptione nos ipsos in puritate roboremus. O puritas! O cordis mundities! quam modica es hominibus! quam vilis saeculo!

Festum

